

Qua in re, ex iudicio Jordani *cit. l. n. 296. & seqq.* nihil interest, an Clericus sit communis & inferioris fortis ac conditionis, an verò sit Nobilis aut Graduatus. At quia honesta sustentationem non consistit in indivisibili, sed major quantitas pro famulatu, hospitalitate, vestitu & similibus est necessaria respectu Clerici Nobilis aut Graduati, quam respectu alterius ex tribu communi: hinc ad qualitatem Clerici quoad sustentationis quantitatem reflectendum esse, existimant Salmanticens. de *Sacram. Ord. tract. 8. cap. 6. n. 67. Pignatell. 10. 9. Consult. 168. num. 33. Clericat. cit. decis. 28. 134 num. 15.* Coadjutoria quoque, tamen perpetua sit, non censetur esse beneficium sufficiens, nisi Coadjutori jus actuale tribuat ad alimenta. Antonell. *cit. l. n. 26. Wiestner d. 135 num. 77.* Quod si fructus beneficii, juncto patrimonio, ad congruam sustentationem

conducant, titulum pronuntiat appositum Clariss. P. Schmalzgrueber ad *rit. de Temp. Ordin. num. 53.* sicque à Sacra Congreg. declaratum ait Clericat. *d. l. n. 18.*

IV. requiritur, ut beneficium sit actu & patrimonium possessum. Unde excluditur tam beneficium religiosum (præterquam si lis concerneret solummodò prædium aliquod particulare beneficii, alioquin pacificè jam possessi. Pax Jordan *d. rit. 6. n. 305.*) quam beneficium, ad quod aliquis, necdum secuta institutione vel confirmatione, nominatus, præsentatus, aut electus est. Barbosa de *Off. & pot. Episc. alleg. 19. n. 28.* Interim nil obstat, quò minus Clericus ordinari possit Subdiaconus vel Diaconus, etiam si fructus beneficii post Sacerdotium primum acquirit. Antonell. *cit. cap. 2. num. 10. Gobat cit. loc. n. 633. Barbosa allegat. 19. n. 29.*

§. II.

De Titulo Patrimonii.

138 Secundus titulus sustentationis est Patrimonium, de quo Trid. Concil. *cit. sess. 21. de res. cap. 2.* ita diffinit: Patrimonium vel pensionem obveniens ordinari posthac non possunt, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum: eò quoque prius per se, patrimonium illud vel pensionem verè ab illis obveniri, quoque à se alienare vel abdicare non valeant, nisi aliunde ostendant, se habere, unde vivere possunt.

139 Patrimonium itaque ipsius ordinandi vicem tituli subit, quando sequentia concurrunt, quòd nempe sufficiat honestæ sustentationi (qualis est, ex usu apud nos recepto, capitale loco imperialium, ut testatur P. Engel ad *rit. de Elem. qual. & Ord. num. 22.*) quòd verò obtineatur seu possideatur ab ordinando; quòdve nequeat alienari vel abdicari. Unde

140 Deducitur I. obligationem, quâ Patronus vel amicus spondet, se ordinando quoad viduum & vestitum omnia subministraturum, non haberi pro titulo patrimonii: nec enim patrimonium habere vel possidere censetur, qui vivit ex gratia & liberalitate alterius. Pax Jordan *cit. Elencubr. divers. lib. 3. tit. 6. n. 336. Gobat Theol. experiment. tract. 8. n. 514. Monacelli in append. ad formulare legale præf. pag. m. 464. n. 8. & seqq.*

141 Deducitur II. filium ad titulum hereditatis paternæ ordinari non posse. Quamquam enim filius habeat jus suavitatis, ratione cuius jam censetur hæres bonorum paternorum in vita, & post mortem non tam in alienum quam suum patrimonium succedere dicatur *§. sui autem 2. Instit. de Hæred. qualis. & differ. 142.* Quia tamen hæc solum procedunt fictione juris; resque non parum incerta & lubrica est, spem unicam fundare in bonis, quæ pendent ex libera patris dispositione, ac per sepe dilapidantur, aut alienantur: hinc ad mentem Concilii Trid. quòd requirit veram patrimonium

nii possessionem, titulum hereditatis paternæ, necdum delatæ, ad Ordinationem non conducit. P. Engel ad *rit. de Elem. & qual. præficiend. n. 23. Schmalzgrueber ad rit. de Temp. Ordin. sub n. 56.* Nihilominus prior ex his Authoribus in *num. 24.* cum Barbosa de *Off. & pot. Ep. alleg. 19. n. 63.* existimat, quòd, sicut pater teneat filio vel filia, profanas nuptias celebraturis, donationem propter nuptias aut dotem constituere *l. ut. Cod. de Dot. promiss. sic teneat filio vel filia, spirituales nuptias per Sacram professionem aut Ordinationem inturus, similem largitatem exhibere. Posterior autem cum P. Pirhing ad cit. rit. n. 74-144*

asseverat, quòd ex consuetudine quarundam provinciarum promissio sustentationis, quam pater nobilis aut unus ex Magnatibus authenticè facit, pro titulo patrimonii agnoscat. Deducitur III. neminem ordinari posse, tametsi speret, se ex propria industria, labore, vel officio, musica, Cathedra (nisi Professoris, etiam impotentes ad functiones Scholasticas, suum stipendium accipiant) honestè victurum: cum senium, infirmitas, & alia multa possint accidere, quæ fructus industriae, laboris, vel officii &c. impediunt. Itaque declaravit Congregatio Concilii, quam attingit Gobat *cit. rit. 8. n. 626.*

Deducitur IV. bona mobilia, hòc ipso, quòd moveri & amoveri possint, pro congruo patrimonio non reputari, sed in mobilia, ac stabilia, nec non frugifera, vel saltem immobilibus æquipollentia, v. g. census annuos, desiderari, sicuti respondit S. Congregatio apud Antonellum de *Reg. Eccles. Episc. lib. 2. cap. 2. num. 20.* Si autem census annuus esset redimibilis, tunc cavere debet Episcopus, ut in casu redemptionis fors capitalis quantocyus in alium locum collocetur, per ea, quæ tradit *cit. Antonell. n. 21.*

Deducitur V. bona etiam immobilia, non tamen

tamen stabilia, sed à possessore auferibilia, puta, quòd hypothecà vel fideicommissò (cujus dies ante possessoris mortem cederet & veniet) onerata sint, propter periculum defa-

cturæ quondam alimonie, non fundare titulum requisiti patrimonii. P. Wiestner ad *rit. de Temp. Ordin. num. 80. P. Schmalzgrueber ibid. sub n. 55.*

§. III.

De Titulo Mensæ.

149 Tertius titulus sustentationis simpliciter vocatur *titulus mensæ*, qui suam originem non habet ex Jure scripto, sed ex Jure consuetudinario Germaniæ: solent enim solum Principes, Comites, & alii Domini Territoriales, sed etiam Communitates, tam sacræ quam profanæ, ordinandis, si beneficiò careant & patrimonio, per literas se obligare, quòd ipsis honesta alimenta præstare velint, vel in casum, quòd propter senium aut agritudinem non amplius se ipsos alere possunt; vel etiam in casum, quòd neque beneficium, neque patrimonium alimenta sufficientia præstabit.

150 Unde literarum tenor graviter inspicendus erit; nec poterit Patronus tituli obligari ad Clericum adhuc sanum & vegetum, in defectum tituli vel beneficii, alendum, si titulus ad solum casum senii vel agritudinis fuerit restrictus: quippe cum obligatio nequeat extendi ultra limites intentionis. P. Engel ad *rit. de Elem. qual. & Ord. præficiend. n. 15.* Sin autem titulus in generalibus terminis sit indultus, Patronus ad alendum Clericum obligari, tradit idem P. Engel; nisi ex Missarum stipendiis, aut alio honesto labore vel officio, Clericum non dedecere, alimenta sibi comparare valeat: tunc enim non magis Patronus suum alumnum, quam pater filium, qui seipsum alere potest, sustentare teneat per *l. si quis 5. §. 7. ff. de Agnoscent. & alend. liber.*

152 Dixi: titulum mensæ à Dominis Territorialibus & communitatibus concedi solere: à privatis non aliter concedi potest, quam sub obligatione realè & hypotheca bonorum immobilium: cum obligatio personalis cum persona expiraret, nec hæredem afficiat, nisi cum re-

spectu ad bona hereditaria, quæ quandoque nulla vel tenuia sunt. Econtrà in Comitibus & Dominis Territorialibus satis prospectum creditur per cautionem personalem, utpote cum media ipsis nunquam deficiant, Clericum titularem alimentandi. P. Engel *cit. l. n. 17. P. Pirhing ad rit. de Temp. Ordin. n. 73. P. Wiestner ib. n. 88. P. Schmalzgrueber num. 57.* Quoad Communitates tamen attendendum erit, ut, si Ecclesiastica sit, adhibeatur consensus Capituli; & si laicalis sit, ipsa Communitas, major pars, aut illi, qui repræsentant Communitatem, consentiant, uti cum P. Engel *cit. l. num. 18. & seq.* tradunt Authores, mox commendati. Cuius ratio est: quia nec Prelatus potest obligare successorem suum in Prælatura sine consensu Capituli *cap. quod quisdam 4. de Fideiussor. cap. ad hoc 1. cap. si quorundam 2. de Solutio. nec Communitas alia potest obligari, nisi Communitas ipsa, major pars, vel, qui Communitatem repræsentant, in unum conveniant arg. l. civitas 27. ff. de R. C. prout alibi nempe in *lib. 3. tract. de Pañ. traditur.**

Porò cum usus tituli mensæ, laudabiliter olim propter multitudinem populi & paucitatem beneficiorum introductus, degeneraverit in abusum, dum non tantum Clerici, penes quos spes bona promotionis est, sed sine delectu quicumque absque beneficio & spe beneficii ordinari sunt, qui miseram plerumque vitam & scandalosam agunt (verba sunt P. Engel *d. l. n. 14.*) hinc evenisse credo, ut in multis diæcesibus non tam facillè ad Ordines Majoress admittantur, qui solum titulum mensæ possunt exhibere.

§. IV.

De Titulo Paupertatis.

157 Quartus titulus, sed solis Regularibus Clericis accommodatus, est titulus paupertatis: qui enim Regularum vitam, emissò cum aliis Voto paupertatis, validè profitentur, non indigent aliò titulo ad Ordinationem, quam titulo paupertatis, seu professionis Religiosæ, vi cuius, etsi dominium rerum temporalium in particulari à se abdicaverint, titulum mensæ & jus ad honestam sustentationem in Monasterio consequuntur. Ita jam olim statutum erat in *cap. neminem 1. Diff. 70.*

158 Dixi tamen: *validè profitentur.* Ut indicarem I. Novitios, qui professionem non emisserunt, ordinari non posse, nisi unum ex 3. primis titulis monstrare queant: nec enim titulo mensæ possunt ante professionem. P. Riffenstuel ad *rit. de Temp. Ord. n. 74.* Ut

indicarem II. professos quoque, sed invalidè, non gaudere titulo paupertatis: quia, quòd nullum est, nullam parit effectum, nullum jus tribuit. Riffenstuel *cit. l. 1.* Unde si Regularis sciat, professionem esse nullam, & nihilominus ad Sacros Ordines sub ficto paupertatis titulo se conferat, incurrit penam ordinariam, quæ in Clericos, sine titulo promotos, est lata. Clericat. de *Sacram. Ord. decis. 28. n. 23.* Sin autem per errorem existimet, professionem valere; vel, si sciat, eam non valere, non ausit tamen contradicere propter scandalum: aut metum gravem, à pena simul & culpa excusatur. Clericat. *d. l. n. 34.*

Planè Religiosi Societatis Jesu, quantum post biennalem Novitiatum emittant Vota simplicia ac solubilia, tamen ex privilegiis

Apostolicis, Gregorii XIII. Gregorii XIV. & Pauli V. ad titulum paupertatis recte ordinantur. Pignatell. *tom. 10. consult. 92. à num. 9.* Gobat *Theol. experim. d. tract. 8. n. 644.* addens in *num. 645.* illud singulare, quod decem

primi PP. Societatis in variis locis ad titulum paupertatis ordinati fuerint, priusquam se fecerint Summo Pontifici pro obtinenda approbatione suæ novæ Religionis, quam necdum propriè inchoaverant.

SECTIO IV.

De Personis & Rebus Confirmandis, aut Consecrandis.

SUMMARI A.

164. Confirmandus debet esse baptizatus. 165. & seq. Certam aetatem non requirit. 167. In adulto peccatore requiritur contritio vel confessio. 168. Subjunctio non desideratur. 169. & seq. Etiam moribundis rectè confirmantur. 171. Unctioe Sacramentali consecrantur baptizandi. 172. & seq. Quæ tamen unctio non est essentialis.

174. Consecrantur etiam confirmandi. 175. Infirmi. 176. & seq. Et Sacerdotes, nec non Episcopi. 178. & seq. Unctioe non-Sacramentali consecrantur Imperator, Rex, Regina & c. 181. & seq. Nihil tam in hoc Consecratio, quam speciale reverentiam tribuit. 184. De aliis personis; & 185. De rebus consecrandis remissivè.

§. I.

De Personis Confirmandis.

164. **I**N personis Confirmandis requiritur I. ut baptismum antea receperint, ob rationem in *num. 54.* datam: quia baptismus est janua Sacramentorum.

165. II. non reperitur quidem determinata ætas, dum etiam infantibus, recens genitis, olim Confirmatio statim post baptismum conferebatur; & hodie dum amentibus & fatuis conferri valet ex opinione Pacis Jordani *Elucubr. div. lib. 3. tit. 2. n. 20.* nihilominus, si causa rationalis non subit (qualis est periculum mortis aut defectus occasionis, posthò non amplius habenda) suadet ad DD. communiter, ut idem Sacramentum post annos discretionis conferatur, ut confirmatus & majorem fructum percipiat, & firmiorem acceptæ gratiæ memoriam habeat. Barbosa *de Off. & pot. Episcop. allegat. 30. num. 17.* Gobat *Theol. experim. tr. 2. n. 266.*

167. III. in adultis, qui peccati mortalis se reos agnoscunt, requiritur aut confessio aut contritio, cum intentione saltem habituali, recipiendi Sacramentum per *cap. majores 3. §. item*

quiritur de Baptismo. Pax Jordan d. l. n. 52. Gobat *cit. l. n. 764.*

IV. de jure Communi deberet quidem confirmandus esse subditus Confirmanti; ex consuetudine tamen sufficit tacitus aut præsumptus alterius Episcopi consensus: plerique enim (saltem in Germania) Episcopi, non contradicunt, etiam si videant, suos subditos ab aliis Episcopis confirmari, juxta dicta in *cap. 2. n. 45. & 47.* Pax Jordan *d. l. num. 49.* P. Wiestner *ad rit. de Sacra Unct. n. 25.*

Scificaberis: utrum Confirmatio possit adhiberi moribundis aut capite damnatis?

Resp. cum Gobat *cit. l. n. 768.* P. Wiestner *d. r. n. 21.* affirmativè. Sic enim docet Angelicus Doctor *quest. 72. Artic. 8. ad 4.* apud eundem Gobat citatus; & ratio est: tum quia gratia Sacramentalis nunquam non prodèst: tum quia in ultima lucta præprimis conducit Sacramentum Confirmationis, quò Athæta Christiani ad debellandas inferorum potestates inunguntur, & muniuntur *cap. Spiritus sanctus 2. de Consecrat. Dist. 5.*

§. II.

De Personis Unctioe Sacramentali consecrandis.

171. **P**ersonæ nonnunquam consecrantur unctioe Sacramentali; interdum unctioe non-Sacramentali. Unctioe Sacramentali consecrantur I. baptizandi, & quidem ter: primà vice inunguntur in pectore; secundà inter scapulas; tercià in vertice. Prima & secunda unctio peragitur cum oleo catechumenorum; tercia cum chrysmate, seu oleo cum balsamo commixto. Textus in *cap. deinde 70. cap. si quis in alio 122. de Consecrat.* 173. *Dist. 4. cap. un. §. quia verò de Sacra Unct.* Hanc autem Consecrationem unctivam in baptismo non esse necessariam quoad substantiam, sed tantum ex præcepto Ecclesiæ ad baptismum solennem requiri, patet ex eo: quia,

dum laicus baptizatur, non potest unctioe adhibere, tametsi validè baptizet. P. Wiestn. *ad cit. rit. de Sacra Unct. n. 4.* P. Schmalzgrueb. *ib. n. 2.*

II. Unctioe Sacramentali & chrysmatica inunguntur confirmandi *d. cap. un. §. per frontis.* nec tantum ex præcepto vel cæremonia Ecclesiæ, sed ex institutione Divina, vel habetur in Concilio Florent. in decreto Eugenii *§. secundum & Trid. sess. 7. can. 2.*

III. Unctioe Sacramentali cum oleo olivarum ex Ordinatione Divina inunguntur infirmi, quatenus vim morbi patientis ferre, & diabolicis tentationibus fortius resistere valeant. Concil. Florent. *cit. loc. §. quintum;* & *Trid. sess. 14. de Extrema unct. cap. 1.*

IV. Un-

176. **I**V. Unctioe Sacramentali consecrantur Sacerdotes, Episcopi, & Summi Pontifices; cum hac tamen differentia, quòd Sacerdotes in manibus oleo catechumenorum; Episcopi in capite & manibus chrysmate; Pontifices in capite eodem chrysmate inunguntur. Textus in *cit. cap. un. §. hoc ergo & §. unde in veteri in sim.*

177. Neutram ex relatis unctioibus ad sub-

stantiam Consecrationis & Ordinationis Sacerdotalis, Episcopalis, aut Pontificalis, desiderari, deditur *ex cit. cap. un. in pr. ubi S. Pontifex in casu, quò omnia sunt unctio, nihil iterari, sed tantum, quod omissum fuit, suppleri jubet. Gonzalez ib. n. 4. P. Wiestner ad eund. tit. à n. 35. Clariss. P. Schmalzgrueb. ibid. n. 8.*

§. III.

De Personis, Unctioe non-Sacramentali consecrandis.

178. **P**ersonæ, quæ consecrantur unctioe non-Sacramentali, sunt Imperatores & Reges, nec non Imperatrices & Reginae. Imperatores & Reges oleo catechumenorum inunguntur in brachio dextro vel humero inter juncturam manû & cubiti; brachium enim, pars hominis robustissima, significat potestatem, dignitatem, & principatum temporalem *d. cap. un. §. unde in Veteri de Sacra unct.* Imperatrices & Reginae eodem modo inunguntur, nisi Reginae sint Regni Dominæ, quò casu inunguntur inter juncturam cubiti & scapulam. Pax Jordan *lib. 5. tit. 6. n. 17.*

179. Inungitur autem Imperator Romano-Germanicus in Romana coronatione a Summo Pontifice *cap. per venerabilem 34. de Elect. Clem. Romani de Jurejurando.* In Coronatione Germanica inungitur ab Electore Moguntino vel Coloniaensi, sicuti notatum est in *rit. 3. de Mod. acquir. Prælat. cap. 1. n. 898. & seq.* Ceteri Reges perurumque consecrantur ab Archiepiscopis, Regni Primatibus, nempe Rex Gallicæ à Rhemenis; Rex Hungariæ à Strigoniensibus; Rex Poloniæ à Gnesensibus; Rex Bohemiæ à Pragenis. Magnif. D. P. König *ad rit. de Sacra Unct. num. 7.* Clariss. D. Hermes *in fascio. Jur. publ. cap. 10. n. 6.*

Hæc tamen Consecratio, ut obiter dictum in *num. 178.* non est Sacramentalis, nec gratiam aut effectum Sacramentalem confert; nec, ut aliqui falsò exillimant, consecratio Potestatem Ordinis Diaconalis vel Subdiaconalis tribuit: siquidem ex Sacris paginis nihil eruitur; imò de Imperatrice vel Regina, quòd Ordinis Sacri penitus sint incapaces, liquet ex *num. 23.* Constat etiam ex Ecclesiæ traditione, Imperatores & Reges post Consecrationem pro Laicis haberi, ac liberè matrimonium contrahere. Gonzalez *ad cit. cap. un. n. 20.* Wiestner *ad eund. tit. n. 64.* Interim principes consecrati acquirunt; possunt ad Altare propius accedere; vocantur etiam Imperatores Sacratissimi, & Sacratissima Majestas; Reges autem appellantur Sacri & Sacra Majestas.

Super sunt adhuc aliæ personæ consecrandæ, non quidem Consecratione unctivâ, sed benedictivâ tantum & deprecatoriâ, puta, Abbates & Abbatissæ &c. Item Consecratio Virginum Monialium, ex Ordine non-Mendicantium. Sed de illa sufficienter dicta in *cit. tr. de Mod. acquir. Prælat. cap. 1. à n. 795.* De hac largiore pennâ scribit Pax Jor. *cit. lib. 5. tit. 5. per tot.*

§. IV.

De Rebus consecrandis.

185. **P**ræter personas etiam res aliquando consecrantur, videlicet Ecclesiæ, Altaria, calices, patenæ, campanæ &c. Cùm autem

non pauca de his subjuncta sint in *lib. 3. tract. de Person. Reb. & Jur. Eccles. p. 2. cap. 2. sect. 3. per tot.* ulteriori nunc explanatione supercedeo.

CAPUT IV.

De Forma & Modo, quò Potestas Ordinis exercetur.

Forma & Modus, quò Potestas Ordinis exercetur, quàm plurima desiderantur in Confirmatione & Consecratione, quàm in Ordinatione. Ut igitur omnia & singula distinctè enumerentur, quatuor Sectiones ponentur, atque in tribus anterioribus forma & modus Ordinationis; in subsequenti forma & modus Confirmationis ac Consecrationis examinabitur.

SECTIO I.

De quibusdam preliminaribus, ante Ordinationem requisitis.

SUMMARIUM.

1. Antequam Ordine recipiantur, servanda sunt interstitia. 2. & seq. Adducitur consuetudo Innocentii XII. 4. Pro Adversariis non sunt interstitia prefixa. 5. & seq. Sed tantum pro Majoribus. 7. Non possunt eadem die plures Ordines Majores conferri. 8. Sabbato ordinatus Sacerdos, die dominica potest in Episcopum consecrari. 9. & seq. De Consuetudine plures Ordines eadem die possunt recipi. 11. & seq. Latè ostenditur, quomodo in interstitiis dispensare possit. 18. & seq. Inducuntur causæ, ex quibus dispensari solet & potest in interstitiis. 23. Or-

ordinationi pramittitur examen. 25. & seqq. Explicatur primum examen. 28. & seqq. Alterum examen declaratur. 32. & seq. Tertium explanatur. 34. & seqq. Ostenditur, quid agendum sit Archi-Diacono, qui sitis alicujus ordinandi defectum occultum. 38. & seqq. Plerumque ordinatus validè, qui laborat tali defectu. 42. Jejunium non debet Ordinationi necessario pramitti. 41. & seq. In ipsa die Ordinationis debet ordinans & ordinandus esse jejunius. 45. & seq. Communio non spectat de necessitate ad Ordine.

§. I.

De Interstitiis.

1. Antequam deveniatur ad actum Ordinationis, quadam preliminaribus sunt observanda. Et quidem imprimis observari debent interstitia, hoc est, intervalla temporum, ut non omnes Ordines simul & semel, sed successivè per temporum interpedines assumantur. Quam in rem juverit attulisse verba Innocentii XII. in supra commendata constituta, que incipit *Speculatores*, ubi per

„elegantè, in iudicium, inquit, non alios, „quantum fieri potest, quam qui in sanctitate „et justitia per ordinatissimos Ecclesiasticæ „militiæ gradus ita intervallis ambulaverint, ac pie & fideliter in ministeriis antea actis „se gesserint, ad Sacerdotium assumi, Sacros „que Ordines juxta præsum Ecclesiæ morem, „prescriptis à Jure temporibus, orationi & „jejunio consecratis, haberi cupientes, severiorem quandam in concedendis Indultis „suscipiendi Sacros Ordines extra tempora „hujusmodi, & Interstitiis, ad id designatis, „minimè servatis, ultrò Nobis proposuimus „adhibendam rationem, quâ videlicet servatâ, ante meritum laboris, ante tempus „examinis, ante experientiam disciplinæ, Sacerdotalis honor non probatis minimè tribuatur, nec unquam heri sacrilegi, hodie „Sacerdotes; heri profani, hodie Sacrorum „Antifites; veteres vitiò, virtute rudes & „recentes; discipuli simul & Magistri pietatis „creentur &c.

4. Sunt autem pro Minoribus Ordinibus certa interstitia non præscripta, sed Episcoporum arbitrio relicta in Trid. *sess. 23. de ref. cap. 13.* Hinc ex Germaniæ recepta consuetudine solent eodem die cum Prima Tonsura Minores Ordines omnes conferri. P. Engel ad *tit. de Temporib. Ordinatum. n. 20.* P. Pirhing *ibid. n. 83.* P. Wiestner *ibid. n. 34.* P. Schmalzgrueber *n. 12.* Verum pro Ordinibus Majoribus constitutus est annus, ut scilicet à tempore, quò collatus erat ultimus ex Ordine, per annum expectetur, donec ascendatur ad Ordinem alium &

superiorem juxta Tridentin. Concil. *sess. 23. de Reformat. cap. 11. 13. & 14.* Quamquam hic annus non debeat computari naturaliter, sed potius Ecclesiasticè, puta à Paschate hujus anni ad Pascha sequentis, esto numerus dierum 365, necdum fuerit absolutus. Si que resolutum à S. Congregatione asserit Laurent. de Franch. *de Controvers. inter Episcop. & Regular. p. 1. num. 264. & seq.* Barbosa *de Off. & pot. Episc. allegat. 18. num. 2.* Reiffenstuel ad *tit. de Temporib. Ordinatum. n. 145.* Mathæucci in *Officium Curia Regular. cap. 23. n. 14.*

Consequens ex dictis est, quòd duo vel plures ex Ordinibus Majoribus non possint eadem die conferri *à sess. 23. cap. 13.* quòdve etiam, si continuetur jejunium, non possit ordinari in Sacerdotem die dominicâ, qui precedenti die sabbati fuit ordinatus in Diaconum *cap. literis 13. cap. dilectum 15. de Temporib. Ordinatum.* Eum verò, qui fuit sabbato inauguratus Sacerdos, dominicâ in Episcopum consecrari posse, cum Glossa in *cap. quòd à patribus Dist. 75. tenet P. Reiffenstuel cit. tit. n. 164.* Consuetudini quoque vim inesse tantam, ut eadem die Subdiaconatus unâ cum Ordinibus Minoribus conferri valeat, admittit P. Pirhing ad *tit. de Temporib. Ordinatum. num. 83.* P. Wiestner *ibid. n. 35.* P. Schmalzgrueber *ibid. sub n. 19.* non obstantè Concil. Triden. *sess. 23. cap. 13. inf.* ubi privilegia & facultates, plures Ordines unâ die conferendi fuisse: nil enim de consuetudine meminit; ut proinde, cum sublata non sit, stare non prohibeatur *arg. l. præcipimus 22. §. ult. Cod. de Appellat.*

Exquires tamen I. quis possit in interstitiis I. dispensare?

Resp. I. Episcopum proprium in interstitiis dispensare posse, velut scriptis insinuat in Tridentin. *d. l. cap. 11. 13. & 14.* Episcopum verò non proprium, esto ad ipsum sint directæ literæ dimissoriae, dispensare non posse, sicut colligitur ex *cit. l. cap. 16. in verb. sui Episcopi &c.* Rationem dat P. Engel ad *tit. de Tempo-*

Temporib. Ordinatum. *sub n. 20.* quia dispensatio est actus Jurisdictionis (subintellige voluntariæ mixtæ, requirentis causæ cognitionem) qui in propriis tantum, non autem alienis subditos exerceri potest. Eximitur tamen idem Clariss. Author, ex epikia & benigna presumptione tunc saltem dispensari posse, quando in diœcesi, ex qua venit ordinandus, interstitia non observantur. Credit etiam Antonell. *de Regim. Eccles. Episcop. lib. 2. cap. 3. n. 9.* ex decisione S. Congregationis Episcopo non esse interdictum, cum familiari suo, cæteroquin non subdito, dispensare: quandoquidem Potestas, quâ quis jure propriò valet ordinare, comprehendit etiam facultatem de illis, que connexa sunt cum Ordinatione, disponendi.

15. Resp. II. facultatem in interstitiis dispensandi in Capitulum Cathedrale, Sede vacante, transferri pro illis casibus, in quibus literas dimissorias concedere potest *arg. Concilii Trident. sess. 7. de Reformat. cap. 10.* Clariss. P. Schmalzgrueber ad *tit. de Temporib. Ordinatum. sub num. 11.* ubi decisionem S. Congregationis Concilii adducit.

16. Resp. III. Vicario Episcopi hanc licentiam competere, quando speciale mandatum habet, veluti censuit S. Congregatio apud Laurent. de Franch. *de Contr. inter Episcop. & Regul. p. 1. n. 256.* Reiffenstuel ad *cit. tit. n. 155.*

17. Resp. IV. Prælati Regularibus dispensationem in interstitiis quoad solos Ordines Minores, quos Regularibus subditis ex jure proprio conferre possunt, concessam esse; dispensationem autem quoad Ordines Majores

atenus ad Episcopos spectare, quatenus summi iudicium in ordine ad causam dispensandi formare debent ex attestatione Superiorum Regularium. Ita resolvit S. Congreg. apud *cit. Laur. de Fr. d. l. n. 255.* Bar. *de Off. & pot. Episc. lib. 18. n. 10.*

Exquires II. quibus ex causis in interstitiis dispensari valeat?

Resp. causas in decreto S. Congregationis Cardinal. & Prælat. Anno 1693. de die 14. Decembr. quod referunt Clariss. P. Wiestner ad *tit. de Tempor. Ordinatum. n. 40.* & P. Schmalzgrueber *ibid. sub n. 14.* expressas, esse sequentes. I. si ordinandi sint Referendarii utriusque signaturæ; familiares Papæ; Canonici Cathedralium aut Collegiarum Ecclesiarum, vel eorum adjutores. II. si iidem sint Magistri, hoc est, Doctores, Licentiatii, vel etiam Baccalarii SS. Theologie, vel Doctores, aut Licentiatii Utriusque, aut saltem Canonici juris, in publica & approbata Universitate ejusmodi Graduum aliquem consecuti: uti etiam si trienniò SS. Theologi studii sedulam navarint operam. III. si beneficium habeant, quòd Sacerdotalem Ordinem exigit, vel aliud perpetuum, aut etiam Capellaniam ad tempus vitæ sibi concessam, ut illi deservire persequi possint. IV. ob penuriam Sacerdotum, Sæcularium vel Regularium, in provincia, diœcesi, vel Monasterio. V. ob solatium patris vel matris, si 50. annos jam excederint; vel etiam, si ordinandus jam expleverit annum 26. quò tamem utroque casu necessum est, ut ordinandus per triennium in habitu Clericali laudabiliter & honestè vixerit.

§. II.

De Examine Ordinandorum.

23. Alterum, quod Ordinationem præcedit, est examen, seu, ut vocatur à SS. Canonibus in *tit. de Scrutiniis in Ordine faciendo* Scrutinium ordinandorum. Hoc triplex est. De primo tractat Concil. Trident. *sess. 23. cap. 5.* his verbis: ad Minores Ordines promovendi bonum à Parocho, & à Magistro Scholæ, in qua

24. Seducantur, testimonium habeant. Hi vero, qui ad singulos Majores erunt assumendi, per mensuram Ordinationem Episcopum ad eam, qui Parocho aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus ac desiderio eorum, qui volunt promoveri, publicè in Ecclesia proponat, de ipsorum Ordinandum natalibus, aetate, moribus, & vita à fide dignis diligenter inquirat, & literas testimoniales, ipsam inquisitionem factam continens, ad

25. Episcopum quamprimum transmittat. In Germania tamen hoc scrutinium in usu non esse, liquet ex praxi, & testatur P. Engel ad *tit. de Scrut. in ord. fac. num. 1.* P. König *ib. num. 6.* P. Wiestner *n. 1.* P. Schmalzgrueber *num. 1.* Primus autem ex his Doctoribus ait, expediens futurum, tam salubrem constitutionem observari, ut secundum Apostoli præceptum nemini citò manus imponatur; duo posteriores econtra notant, in locum talis scrutiniis recipi

testimonia à Professoribus literarum de vitam, moribus, & doctrina ordinandi.

Alterum scrutinium, quod adhuc observatur, instituitur ab Episcopo vel alio ex ipsius commissione, paucis diebus ante Ordinationem, ubi in personam, genus, æratem, titulum, doctrinam, vitam, mores &c. ordinandorum inquiritur, conformiter Trident. *cit. sess. 23. de ref. cap. 7.* Quæ tamen inquisitio quoad prædicas Regulares Ordinatus (quantum attinet ad mores & cæteras qualitates, exceptâ doctrinâ) solet omitti, ac Superiorum testimonio fides adhiberi, sicut post Barbofam & Nicolium adverteit Monacellin *in formulari legali part. p. 1. pag. m. 85. n. 2.* Quoad cæteros etiam ordinandos examen de scientia discretere potest dissimulari, quando Gradu Doctoratus aut Licentiatûs sunt insignes, *arg. ex Trid. Concil. sess. 7. de ref. cap. 13.* ubi electi seu nominati ab Universitatibus ad beneficia ab ejusmodi examine liberi pronuntiantur. P. König ad *tit. de scrutiniis. n. 3.*

Neque putes, hanc inquisitionem gratis institui: quandoquidem ex *cap. ult. de Præsumpt. quilibet primâ facie præsumitur idoneus, nisi contrarium ostendatur.* Nam ista præsumptio

solùm verificatur de idoneitate intrinseca & naturali, qualis est probitas, continentia, sobrietas &c. qualitates autem accidentales & extrinseca, nempe titulus, genus, ætas &c. cum in facto consistant, non præsumuntur, si quis actum vel negotium assumat, ad quod ejusmodi qualitates requiruntur: tunc enim procedit regula contraria, quòd fundamentum intentionis, sine quo non admititur ad Ordines, probare teneatur; prout in simili dicemus de probatione ætatis in lib. 2. tit. 3.

33. Tertium scrutinium peragitur in ipsa Ordinatione, quando Diaconi & Presbyteri ordinantur: solet enim tunc Archi-Diaconus, vel, ut hodie moris est, Sacellanus aut alius Minister Episcopi ordinantis, publicè vel clarè voce dicere: *Reverendissimi Pater: postulat Sancta Mater Ecclesia Catholica, ut hos presentes Subdiaconos ad onus Diaconii, & hos presentes Diaconos ad onus Presbyterii ordinetis. Cui Episcopus ordinans, si eos, respondet, cognoverit esse dignos. Ad quam responsum denuò subiungit Archi-Diaconus: quantum humana fragilitas nosse sinit, & scio, & testificor, ipsos dignos esse ad hujus onus officii. Textus in cap. un. de scrutiniis in Ord.*

34. Dubitanti Archi-Diacono, quid agere debeat, si sciat aliquem ex Ordinandis occultò laborare defectu? Suadent Authores, infra citandi I. ut, si rationabiliter speret, ordinandum ab Ordinatione recessurum, ipsum admoneat secretò. II. ut, si prævideat, se nihil effecturum, studeat pro illa vice functionem hanc declinare; &, si neque hoc videatur consultum aut possibile, Episcopo in 36 interroganti præfatò modò respondeat. Nec

enim mendacii reatum tunc incurrit: utpote cum defectum non sciat scientià publicà & communicabili, sed privatà & incommunicabili. Ita Abbas in cap. un. de Scrutinio in Ordine fac. in f. P. Pirhing eod. tit. num. 7. P. Wiestner n. 10. Clarif. P. Schmalzgrueber n. 5. Ipsemet ordinandus autem, ta- 37 meti defectus sit occultus, abstinere debet ab Ordinibus per cap. ex penitentibus 55. Dist. 50. cap. quicumque 5. Dist. 81. cap. innotuit 20. de Elect. & dicta in tract. de Mod. acquir. Pralat. cap. 1. n. 267. siquidem non habet, quod metuat periculum infamie: cum per abinentiam ab Ordinibus, veluti rem licitam, notam non incurrat. P. König ad cit. tit. de Scrutin. n. 5.

Sed quid, an validè censebitur ordinatus, qui cum defectu occultò, tanquam indignus, ordinatur? Ratio dubitanti est: quia in Ordinante deficere videtur intentio, sine qua non potest Ordinatio convalescere. Nichilominus cum P. Gobat Theol. experiment. tr. 8. n. 317. & P. Wiestner ad tit. deo, qui Ordine novo furtivè &c. n. 3. tenendum est, Ordinationem valere, nisi Episcopum expressè & positivè intentionem contrariam habuerit, indignum non ordinandi: quia præsumitur, quòd Episcopus habuerit intentionem faciendi, quòd facit Ecclesia; & sic Ordines omnibus, qui Characteris Sacramentalis incapaces non sunt, validè conferendi. Protestatio autem, quæ verborens interponitur, tantummodò fit ad absterrendos indignos, & ostendendam duplicem intentionem, quòd scilicet Episcopus non velit per Ordinationem indigni se facere delicti participem.

§. III.

De Jejunio Ordinantis & Ordinandorum.

42. Tertium, quod Ordinationi præmittitur, est jejunium Ordinantis & Ordinandorum. Et quidem nonnulli putant, pridie Ordinationis ab Ordinante & Ordinando jejunandum esse; quod, etsi meritorium & salubre sit, nullibi tamen præceptum in Jure reperitur, nec etiam Doctores quidpiam de hoc scribunt, ut notat Gobat cit. tr. 8. n. 357. Unde, qui ordinat & ordinatur extra quatuor tempora, vel ad Ordines Minores, vel ex privilegio ad Majores, jejunium præmittere non tenetur.

43. In ipsa autem Ordinationis die tam Ordinans quam Ordinatus jejunet, opus est juxta cap. reliqui 1. Dist. 67. cap. quod a paribus 4. Dist. 75. Pax Jordan Elucubr. div. lib. 5. tit. 2.

44. Non quòd jejunium spectet ad substantiam Ordinationis (prout absque fundamento senserunt Hostiensis & Butrius) sed tantum ad illius honestatem & decentiam. Gobat cit. l. n. 352. ubi etiam obligationem jejunandi limitat in collatione Minorum Ordinum, quæ subinde post prandium contingit.

Petes: an etiam jejunio conjungenda sit communio & sumptio S. Eucharistie.

Resp. sic quidem observari de consuetudine; attamen, ut docet citat. Gobat num. 358. non esse obligationem committendi sub mortali: quippe cum nullò probetur Jure; & tamen valde durum, & a pietate Christiana videatur alienum, mittere aliquem in infernum, aut dicere, quòd peccet mortaliter sine evidenti & certa ratione; prout dicendum foret in opposita sententia.

SECTIO II.

De Tempore & Loco Ordinationis.

SUMMARIUM.

47. Ordines Minores conferendi sunt diebus dominicis vel festiviis. 48. Ordines Majores in sab-

batis 4. temporum &c. 49. Episcopatus qualibus dominicis; 50. Vel etiam in festis Apostolorum.

47. *Prima tonsura potest omni tempore imperiri. 52. Ordines proprie dicti tempore matutino conferri debent. 53. & seq. Consecratio, quæ Ordines sacri extra tempora conferuntur, reprobat. 55. Privilegia tamen Summorum Pontificum sunt attendenda. 56. & seq. Sub diebus festiviis intelliguntur festa in choro & foro. 60. Ordinatio, die sabbati non absoluta, potest in dominicam transferri. 61. & seq. Missa celebratio non est de substantia Ordinationis. 64. & seq. Requiritur tantum*

ex præcepto Ecclesie pro Ordinibus Sacris. 61. & seq. Sacrum tantummodo provenit ex præcepto Ecclesie; & ideo in casu necessitatis potest omitti. 69. Locus Ordinationis explicatur. 70. Ordines non sacri in qualibet loco honestè rectè conferuntur. 71. Sacri quoque, si conferantur extra tempora, ibidem conferri possunt. 72. Imò etiam si sacri temporibus conferantur. 73. & seq. Extra diæcesin nequidem Primam Tonsuram conferre licet. 76. In loco exempto intra diæcesin Ordinatio non est prohibita.

§. I.

Quibus diebus habenda sit Ordinatio?

47. Ordinatio non debet omni tempore fieri, sed Ordines Minores conferendi sunt diebus Dominicis vel festiviis cap. de ea autem 3. de Temporib. Ordinat. ubi quidem S. Pontifex tantummodò loquitur de uno vel duobus ordinandis; Glossa tamen, Sylvester, & Innocentius apud Gonzalez ad cit. cap. n. 2. exilliant, plures ordinari posse, dummodò generalis Ordinatio non fiat. Ordines autem Majores conferri debent in sabbato 4. temporum, sabbato sicutum ante Dominicam passionis, vel sabbato sancto d. cap. de eo autem & cap. ult. Dist. 75. partim quia tunc jejunium ab Ecclesia servatur: partim quia sabbatum denotat quietem & cessationem à labore, quæ, quantum ad negotia secularia, summopere commendatur in Clericis. Episcopatus verò qualibet die dominicè confertur: cum, quidam à Domino est insignis constitutum, in hujus diei dignitate sit gestum cap. quod die 5. Dist. 75. Imò in Nataliis Apostolorum quoque promotionem Episcopalem institui posse, tradit Clarif. P. Schmalzgrueber ad cit. tit. de Temporib. Ordinat. sub n. 8. quia in munere pastoralis succedunt Apostolis cap. in novo 2. Dist. 21.

51. Pro Prima Tonsura, cum propriè non sit Ordo, nec tempus, nec diem, nec certam horam præscriptam esse, testatur Pontificale Roman. tit. de Conferend. Ordini 8. Clericatus, & ostendit universalis consuetudo, quam allegat Fagnanus ad cit. cap. de eo autem n. 4. At pro Ordinibus Majoribus determinatum est tempus matutinum arg. Concil. Trid. sess. 22. in decreto de observand. & vitand. tempore Missæ; licet olim, dum sacra diebus jejuniorum sub vesperum legebantur, sub vesperum habitasset Ordinatio, testante id Gonzalez ad cap. literas 13. de Temporib. Ordinat. n. 4. quæ & hodie Minores Ordines in Hispania conferuntur vespere ferie sextæ ante sabbatum 4. temporum. Gobat cit. tract. 8. n. 452.

53. Extra tempora constituta non posse per consuetudinem introduci, ut Ordines Sacri conferantur, sancitur in cap. sanè 2. de Temporib. Ordinat. ubi similis consuetudo, tanquam institutionis Ecclesiasticæ inimica, penitus reprobanda dicitur. Et licet aliàs, reprobatà consuetudine, non censeatur esse reprobanda immemorialis: attamen, cum in cit. cap. reproberetur consuetudo antiqua, permultis est credibilis,

etiam immemoriam, nisi ex capite aliquo possit legitimi, reprobanda esse. Quin etiam tamen per privilegium Apostolicum concedi possit facultas ordinandi extra tempora, nemo dubitat, postquam ex solo Jure humano tempus Ordinationum præfixum, & quibusdam Religionibus tale privilegium de facto est concessum; quo de pluribus disputant Matthæucci in Officiali Curia Regni. cap. 20. n. 15. & seq. Reiffenstuel ad cit. tit. n. 40. Videantur etiam Salmanticen. de Sacram. Ord. cap. 4. n. 94. & seq.

De reliquo cum talia privilegia plerumque contineant hanc clausulam, quòd Ordines extra tempora conferri possint diebus dominicis aut festiviis; ac superius jam in num. 47. dictum sit, Ordines Minores diebus festiviis conferri posse: hinc dubium oritur, an sub diebus festiviis contineantur festiva duplicia, quæ tantum in choro, non autem in foro à populo celebrantur? Affirmativam, 57. quam tradit Barbosa ad tit. de Off. & pot. Episc. alleg. 17. n. 7. probabilem dicitur P. Engel ad tit. de Temporib. Ordinat. num. 18. & Gobat cit. tr. 8. n. 472. Textus eam in rem adduci potest ex cap. un. de Reliq. & Venerat. Sancti in 6. ubi sub nomine festiviis tantum intelliguntur festiva duplicia quatuor Evangelistarum, & quatuor Ecclesiarum Doctorum, licet hæc (si excipias festa Evangelistarum, qui simul à Apostoli sunt) tantum in choro celebrantur. At negativam à Sacra Congregatione Concil. decisam, asserit Fagnanus ad cit. cap. de eo autem 3. de Temporib. Ordinat. n. 42. eamque sequuntur Sylvester in v. Ordo 2. g. 6. Reiffenstuel cit. Ln. 53. P. Wiestner ib. n. 43. P. Schmalzgrueber ad d. tit. n. 9. Ratio est: quia nomine festivi non solum in vulgari sermone, sed etiam in Jure communiter intelligitur festum in choro & foro, prout constat ex cap. promittendum 1. de Consecrat. dist. 3. cap. ult. de Petris, Tridentin. Concil. sess. 24. etiam Maurim. cap. 1. Unde hic intellectus etiam in præsentimateria capiendus erit.

Ad cap. un. de Reliq. in 6. resp. ex subjecta ibidem materia satis colligi, quòd festum accipiatur in ordine ad chorum & officium Divinum; quò sensu etiam festum semiduplex aut simplex appellari solet.

Id porrò in cap. quod à patribus 5. Dist. 75. 60. apertè

apertè concessum est, ut, si Episcopus propter multitudinem Ordinandorum non possit in Sabbato totam Ordinationem absolvere, possit illam in sequentem Dominicam, continua-

§. II.

Utrum Ordinatio facienda sit inter Missarum solennia?

- 61 **A**D Ordinationem essentialiter spectare, ut fiat inter Missarum solennia, docuit Sylvester in *8. Ordo 2. q. 9. Dist. 2.* sic scribens: „ si Missa non præmittatur, nihil fit, sed totum est iterandum; & si unus dicat Missam, alius ordinet, tenet Ordo in Minoribus, non in 62, Sacris, sed est de substantia. Verùm hæc sine omni probabilitatis specie scripta fuisse, tradit Gobat sæpe *cit. tract. 8. num. 257.* estque Jordani *lib. 3. tit. 6. n. 447.* Barbosa de *Off. & pot. Ep. alleg. 14. n. 16.* & aliorum certa sententia, Missæ celebrationem de substantia 63 Ordinationis haud esse. Ratio est manifesta: quia nihil ad Ordinationis substantiam est necessarium, præter materiam, formam, & intentionem Ministri. Sed Missæ celebratio nihil habet proprium cum materia, forma, vel intentione Ministri. Ergo &c.
- 64 Igitur ut Ordines inter Missarum solennia conferantur, provenit ex præcepto Ecclesiæ, veluti colligitur tum ex Pontificali Romano; tum ex constitutione D. Clementis, quam citat Gonzalez ad *tit. cap. literas 13. de Temp. Ordinam. n. 4.* tum ex *cap. quod sicut 28. §. super 65 de Elect.* tum ex usu & consuetudine. Cum enim per Ordinationem novi Altaris Ministri

rejeunio, continuare: quia continuatio jejunii fictione Juris ex Sabbato & dominica conficit unam diem *cap. literas 13. de Temporib. Ordinam.* & ibi Interpretes.

creentur: vix opportunius aut congruentius tempus pro Ordinatione potest inveniri, quam ubi Sacrificium & Ministerium Altaris exercetur. Nec tamen hoc præceptum 66 ad omnes Ordines extendendum: Minores enim extra Sacrificium Missæ conferri posse, & solere, patet ex supra dictis in *n. 52.* & tenet Pax Jordan *cit. l. n. 446.* & Gobat *ubi supra num. 259.* quia concursus Ordinandorum ad 68 tempus, aliis Ordinationi deputatum, est utique causa sufficiens, & gravis, propter quam ex epikia & benigna interpretatione Lex Ecclesiastica, seu scripta seu non-scripta, imponens Ordinanti celebrationem Missæ, relaxari, ac Missa per alium celebrari valet: factis etenim foret difficile, tot Ordinum Candidatos spe sua frustrare, sine caractere desiderato domum remittere, ac sursum & molestias itineris geminare.

§. III.

In quo loco facienda sit Ordinatio?

- 69 **Q**uoad locum Ordinationis sequentia statuit Concilium Trident. *sess. 23. cap. 8.* Ordinationes Sacrorum Ordinum, statuit à Jure temporibus, ac in Cathedrali Ecclesia, vocatis presentibusque ad id Ecclesia Canonice, publice celebrantur. Si autem in alio diacesis loco, præsentie Clero loci, dignior, quantum fieri poterit, Ecclesia semper adeatur. Unde
- 70 Deducitur I. collationem Ordinum Minorum non tantum in Ecclesia Cathedrali, sed etiam in Capella vel domo Episcopali, vel alio loco honesto fieri posse: quippe cum allegatum Conc. loquatur de Sacris Ordinibus; sicque non immutat dispositionem Juris antiqui, quò Ordines non-facri seu Minores, ubi libenter fuerit, conferri possunt ex *cap. quando 6. Dist. 75.*
- 71 Deducitur II. collationem Ordinum extra tempora fieri posse in quovis honesto loco. Gobat *cit. tract. 8. n. 219.* Concilium enim tantummodò loquitur de Ordinatione generali, quæ statuit à Jure temporibus peragitur.
- 72 Deducitur III. Ordinationem, etiam consuetam & generalem, extra Ecclesiam Cathedrali in alio loco celebrari posse: quandoquidem Concil. *d. l.* non præcisè determinat

Ecclesiam Cathedrali, sed etiam permittit Ordinationem in alio Diacesis loco; solumque mandat, ut, quantum fieri potest, dignior Ecclesia semper adeatur. Clariff. P. Schmalzgrueber ad *tit. de Temporib. Ord. n. 17.*

Cæterum Ordinatio fieri debet intra Diacesis Ordinantis: extra Diacesis ne quidem proprium subditum Episcopus ordinare potest, nisi illius Diacesis Ordinarius consentiat *Trid. sess. 6. de ref. cap. 5.* P. Engel ad *tit. de Temporib. Ordinam. n. 13.* Ique tam de Ordinibus strictè talibus, quam Prima Tonsura exaudiendum esse, contra Salmanticenses de *Sacram. Ord. cap. 4. n. 75.* & alios plures cum P. Pirhing ad *cond. tit. n. 77.* adstruit *cit. P. Schmalzgrueber num. 18.* Tametsi enim Concil. *cit. l.* tantum dixerat de exercitio Pontificalium; Prima Tonsura verò, secundum aliquos, si privatim confertur, non requirit insignia Pontificalia: nihilo tamen minus indubitatè comprehendit collationem Primæ Tonsuræ; cum etiam, si peragatur absque Pontificalibus insignibus, sit actus Pontificalis, ex Officio Episcopali descendens.

Planè quòd Episcopus in loco exempto sine Diacesis ordinare valeat, valde luculenter eruitur

eruitur ex *Clem. Archi-Episcopo 2. de Privileg.* ubi eidem generalis licentia conceditur, in tali loco Divina officia cum Pontificalibus celebrandi. Pignarelli. *tom. 7. consulu. 7. n. 8.*

SECTIO III.

De Actuali Ordinatione.

SUMMARIUM.

77. Essentialia Ordinationi sunt materia, forma, & intentio Ministri. 78. & seqq. Assignatur materia remota omnium Ordinum, in genere & in specie. 87. Materia proxima est traditio Symboli. 88. & seqq. Traditio fieri debet ab ipsomet Ordinate. 90. & seqq. Adstruitur forma singularum Ordinum. 97. & seqq. De controversiis circa materiam & formam remissivo. 99. & seqq. Suggestitur ratio, cur verba in-

Ordinatione proferantur imperatò. 103. Materia est tangenda. 104. & seqq. Mediate vel immediate. 106. & seqq. In eodem instanti morali, quò traditur. 108. & seqq. Secundum aliquos non requiruntur actus physici. 112. & seqq. Secundum alios est absolus necessarius. 116. & seqq. Priorum argumenta diluuntur. 120. & seqq. Pauca de accidentalibus Ordinationis subjiciuntur.

§. I.

De Traditione Materiæ, & pronuntiatione Formæ.

- 77 **P**osteaquam nonnulla præliminariter tractavimus de Ordinatione; nunc delabimur ad ipsam Ordinationis actum, in quo præcipue sunt consideranda materia, forma, & intentio Ministri: in his enim essentialia & substantiam tam reliquorum Sacramentorum, quàm Sacramenti Ordinis consistere, res apud omnes Catholicos est certa, & definita in Concilio Florentino in *Decreto Eugenii §. quinto.*

- 78 Materiam Ordinationis, quod attinet, illa vel est remota, vel est proxima. Remota est res externa, symbolum, vel instrumentum, quod ordinando traditur in signum acceptæ 79 Potestatis; & quidem in *Officiariis* sunt claves Ecclesiæ & cymbalum, quò populus convocatur. In *Lectoratu* est liber lectionum, quæ ex SS. Pagine & SS. Patribus in Ecclesia 81 legi consueverunt. In *Exorcistatu* est liber exorcismorum, seu Rituale Romanum, in quo post rubricas de Sacramentis, de Exequiis, de Benedictionibus & Processionibus extat titulus de Exorcizandis obsessis à demonio; item de Con-

- 82 jurationibus ad fugandas tempestates. In *Acolyatu* est urceolus vacuus & candelabrum cum cereo extincto; quod utrumque symbolum in sententia Doctoris Angelici necessarium esse, contra nonnullos propugnant Salmanticenses de *Sacram. Ord. cap. 3.* 83 num. 17. In *Subdiaconatu* diversas quidem opiniones recentet Clericatus de *Sacram. Ord. decis. 22. à n. 1.* Sed tamen in *num. 26.* infallibilem & certam appellat, quæ propriam illius materiam calicem vacuum & patenam vacuum statuit; requirens in *num. 29.* in super de necessitate, ut calix unicum patena sit consecratus, ut docent Salmanticens. *d. cap. 3.*

- 84 num. 22. In *Diaconatu* turris multiplicia DD. placita refert Clericatus. *d. l. decis. 29. à n. 5.* ex decreto tamen Eugenii *cit. §. quinto* materia est liber Evangeliorum; cui num de substantia sit conjugenda manuum impositio? Disputatur; negativè subsidium maximum præstante Sacra Scripturâ, quâ *Altor. 6. pri. P. Schmier JURISPR. CAN. CIV. TOM. I.*

mos septem Diaconos per impositionem manuum ordinatos fuisse, constat. In *Presbyteratu* quoad collationem Potestatis in Corpus Christi verum est calix cum vino, & patena cum hostia; quoad collationem verò Potestatis in Corpus Christi mysticum est impositio manuum Episcopi. In *Episcopatu* 86 est partim impositio libri Evangeliorum super cervicem & scapulas Episcopi consecrandi; partim impositio manuum super caput ejusdem ab Episcopo consecratorum.

Materia proxima Ordinationis est traditio 87 illius symboli vel instrumenti, exhibenda ab Episcopo. Quantumvis enim nonnulli docuerint, in Ordinibus Minoribus non esse materiam ab ipsomet Ordinate porrigendam ordinando, sed ab alio Ordinate mandatum, rectè potrigi per *cap. Acolytus 16. Dist. 23.* Securior tamen & melior sententia docet, in omnibus Ordinibus materiam ab ipsomet Ordinis Ministro tradendam esse: quia, dum verba proferuntur à Ministro super materiam, ad eorum verificationem materiam ipsamet exhibeat, necessum videretur. Salmanticens. de *Sacram. Ord. cap. 2. n. 22. & 23.* Sicque, 89 ut Author est Clericatus de *Sacram. Ord. decis. 9. n. 15. & seqq.* non tantum in Rituali Romano, nonò seculò jam conscriptò, ordinatum, sed etiam à Clemente VIII. mandatum legitur, ut Clerici, quibus Episcopus Sagienfis instrumenta Ordinum propriis manibus non traderat, sub conditione rursus ordinentur.

Forma Ordinationis consistit in verbis, quæ 90 ab Ordinate, dum is materiam ordinando tradit, cum significatione Potestatis, per Ordinem collatæ, pronuntiantur. Sunt autem in *Officiariatu* sequentia: *sic agite, quasi reddistis DEO rationem, pro his rebus, quæ bis clavibus recluduntur.* In *Lectoratu*: *accipite, & estote Verbi 91 DEI relatores, habituri, si fideliter, & nulliter impleveritis officium vestrum, partem cum eis, qui Verbum DEI bene administraverunt: ab initiis.* In 92

K k k

Exor-

Exorcismus: accipite, & commendate memoria, & habete Potestatem, imponens manus super energumenos, sive baptizatos, sive casechumenos. In Acolyatu ad traditionem caedelabri: accipite auroserarium cum cereo, & sciatis, vos ad ascendenda Ecclesia luminaria mancipari in nomine Domini; ad traditionem uircelli: accipite uircellum, ad suggerendum vinum & aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi in nomine Domini. In Subdiaconatu: videte, cuius ministerium vobis traditur; idem vos admonet, ut ita vos exhibeatis, ut DEO placere possitis. In Diaconatu: accipe Potestatem legendi Evangelium in Ecclesia DEI, tam pro vivis, quam defunctis, in nomine Domini. In Presbyteratu ad traditionem calicis & patenae: accipe Potestatem, offerre Sacrificium DEO, Misissaque celebrare, tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini; ad impositionem manuum Episcopi: accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt. In Episcopatu: accipe Spiritum Sanctum &c.

97 Scio equidem, apud Theologos tam circa materias, quam circa formas singulorum Ordinum plures adhuc moveri controversias, prout eximia cum eruditione per folia quamplurima discutit Clericat. de Sacram. Ord. de-

98 **ois: 17. & plurib. seqq.** Sed quia tales disputationes à foro nostro remotiores videntur; hinc communem tantummodò sensum & sententiam DD. cum Clariss. P. Schmalzgrueber ad rit. de Temp. Ord. n. 5. & 6. referre volui. Id unicum omittere nequeo, quòd verba in Sacramento Ordinis proferantur imperativò modò, v.g. accipe Potestatem &c. in aliis autem Sacramentis proferantur indicativò modò, v.g. ego te baptizo &c. Ratio nem diverfitatis ex S. Thoma assignat Clericatus cit. l. decis. 7. n. 4. quia cetera Sacramenta principalius sunt instituta ad sanctificandum suscipientem, quatenus est persona particularis; & idèò sufficit, gratiam sanctificantem, quæ per Sacramentum confertur, indicare per verba indicativi modi. At Sacramentum Ordinis est institutum à Christo Domino principalius ad sanctificationem Ministri, quatenus agit personam publicam in Ecclesia; idcirò verba proferuntur imperativò modò, ut denotetur imperium & Potestas, quæ confertur in Ordinatione; Sicut accidere solet in Ministris Reipublicæ profanæ, dum eis in sua creatione Auctoritas & Potestas conceditur per verba imperativa: accipe sceptrum, gladium, vel baculum &c.

§. II.

De Contactu Materia.

103 **D**um Minister Ordinis tradit materiam, & formam pronuntiat, apud plerosque convenit, materiam illam ab ordinando corporaliter attingendam esse per textum in capitulis de Sacram. non iterand. ubi Gregorius IX. asserit, Presbyteros & Diaconos, cum ordinantur, manus impositionem tactu corporali recipere. Clericat. cit. loc. decis. 7. num. 20. & 21.

104 Hic autem attractus non debet de necessitate immediatus esse: tum quia, qui tangit calicem, censetur etiam tangere vinum, in calice contentum; & qui tangit patenam, hostiam quoque, patenæ super impositam, tangere videtur. Salmanticens. de Sacram. Ord. cap. 2. num. 21. Gobat. de eodem Sacram. tr. 8. num. 103. & seqq. tum quia, qui tangit materiam cooperatà manu, ac ludariolò, chirotheca, vel superpelliceò involutà, creditur tactum physicum exercere, sicut physicè dicitur alterum palpare, vel apprehendere, qui cooperatà manu palpat vel apprehendit. Salmant. d. l. n. 10. Gobat. d. l. n. 60. Clericas. d. 106 decis. 9. n. 10. Præterè non debet attractus ille in momento, quò Episcopus verba pronuntiat, concurrere, veluti contra nonnullos statuunt Salmant. d. l. n. 20. Clericat. num. 11. Clariss. P. Schmalzgrueber ad rit. de 107 Temp. Ord. n. 7. Sicut enim in reliquis Sacramentis, v.g. baptismo vel poenitentia, non requiritur, ut eòdem punctò, quò proferitur forma, applicetur materia, sed moralis utriusque concursus sufficere creditur: ita & in Sacramento Ordinis sufficere, si fiat concursus moralis, ac, verbis jam prolatis,

interjectò parvi temporis intervallò, materia tangatur.

Solemnis verò controversia movetur: utrum attractus physicè materiae, vel mediatus, vel immediatus, sit de essentia Sacramenti Ordinis? Negant P. Laymanni in Theol. Mor. lib. 5. tract. 9. cap. 5. num. 4. P. Engel ad rit. de Temp. Ord. n. 10. P. Gobat cit. tract. 8. num. 57. Rationes sunt I. quia non apparet ratio, cur attractus physicus materiae sit de essentia Sacramenti Ordinis, nisi fortassis hæc, ut verificentur verba formæ: accipe &c. At ista ratio nihil probat: nam etiam in civilibus ad verificanda similia verba, & tradendam Potestatem, satis est, moraliter rem tangere, ac domum v.g. eminus ostensam alpicere l. clavibus 74. ff. de Contrab. emp. II. quia, dum parvuli & infantes unius diei ex cap. 3. n. 16. ordinari possunt, nulla videtur huiusmodi contactus necessitas: neque enia in parvulis & infantibus sperandus est contactus, qui verbis Ordinationis correspondeat. III. quia, tamen materia in Sacramento Matrimonii sint corpora conjugum, & cor in traditio, attamen sufficit sola traditio, quæ mutuo consensu perficitur. Idem itaque dicendum in Ordine.

Affirmant econtrà Salmanticens. cit. cap. 2. 112 num. 14. Sylvester P. Ordo 2. q. 5. Clericat. ubi supra decis. 8. num. 27. P. König ad rit. de Temp. Ord. n. 33. P. Schmalzgrueber ibid. sub num. 7. Rationes sunt I. quia ad verificanda verba Ordinationis omninò necessarium est, materiam corporaliter attingere: nec

nec enim cum veritate accipit calicem, qui eum, dum exhibetur ab Episcopo, non tangit. II. quia in cæteris Sacramentis, ubi signum externum applicatur, in suscipiente contactus physicus desideratur: infans siquidem non iudicatur baptizatus, si per aquæ contactum non fuerit ablutus. Ergo hoc idem in Sacramento Ordinis est dicendum. III. quia praxis Ecclesiæ demonstrat, quòd Ordinales & eorum Ministri sollicitè curent, ut materia Ordinum ab ordinandis tangatur: ipse quoque P. Gobat ubi supra num. 57. admittit, Sacerdotem, qui calicem physicè non tetigit, reordinandum esse. Ex quo concluditur, tutiorem ac longè probabiliorem esse posteriòrè hanc opinionem, quam etiam amplector, & Ad I. rationem contrariam Resp. illam probare nimium, quòd nempe ne quidem realis exhibitio materiæ ex parte Ministri exigatur: quippe cum in civilibus non exigatur exhibitio materiæ, sed ex clausula constituti quis

possit consequi possessionem rei absentis, multum distat, & nunquam perfecte per l. quod meo 18. in pr. ff. de Acquir. vel amit. possid. Cur autem moralis contactus ad verificandam Ordinationis formam non sit appositus, ea est ratio: quia Christus Dominus in Sacramentorum institutione magis rem ipsam, quam Juris fictionem attendisse videtur; adeoque contactu morali, qui Juris fictione nititur, contentus non erat. Ad II. Resp. Clericatus d. l. n. 32. in illa hypothesi, quæ parvulus aut infans ordinatur, contactum physicum non minus, quàm in baptismo, intervenire: quamquàm defectus intelligentiæ tam in Ordinatione quam in baptismo suppletur ab Ecclesia. Ad III. Resp. quòd, sicut matrimonium est Contractus civilis, nec, post elevationem ad Sacramentum, immutatum, sed in sua natura fuit relictum: ita nil aliud desiderare, quam traditionem civilem, mutuo consensu de præsentibus manifestatam.

§. III.

De reliquis, in actuali Ordinatione observandis

120 **H**æc, quæ adduximus, Ordinationi sunt essentialia. Accidentalialia, nec tamen omittenda, sed cautè servanda sunt, quæ circa ritus & cæremonias in Pontificali Romano præscribuntur. Qua in re præ oculis habendum est monitum Jordani lib. 3. tit. 6. num. 456. ut Minister Ordinis advertat diligenter, maturè procedat, Pontificale frequenter inspiciat, nec memoriæ sære nimium fidat. Ut præterè formam integrè proferat, ac moralè simulatè instrumenta porrigat ordinandis &c. in super secretas ordinationes morosè pronuntiet, ut ordinandi ad Sacerdotium

commodè possint cum Ordinante concubare &c.

Illud etiam advertet Ordinans, ut ornatus sit omnibus Pontificalibus indumentis, à Romano Pontificali designatis. Nimium pro Prima Tonfura & Ordinibus Minoribus, quando conferuntur extra Missam, Rochetò, itolà, & mitrà simplici; pro sacris autem Ordinibus, sive privatis sive publicè conferantur, sive Missa decantetur, sive tantum recitetur, omnibus Pontificalibus insignibus respiciendat, oportet. Pax Jordan cit. l. n. 453. ubi plura videri possunt.

SECTIO IV.

De Modo & Forma Confirmandi & Consecrandi.

SUMMARIUM.

124. Explicatur, quò Sacramento Confirmationis sunt essentialia. 125. & seqq. Discutitur, quòd, an chryisma sit de essentia Confirmationis? 130. & seqq. Respondetur ad fundamentum sententia affirmantis. 132. Uñctio in fronte est materia proxima. 133. Forma consistit in verbis. 134. Ad accidentalialia referuntur locur.

135. Diocesis. 136. & seqq. Tempus. 139. Habitus Pontificalis. 140. & seqq. Assistentia & levitio patris. 142. & seqq. Fascia, quæ frons circumligatur. 144. Alapa. 145. Procuratio canonica, Episcopo confirmanti non solvitur. 146. & seqq. De forma Confirmationis agitur remissivè.

§. I.

De Essentiali Materia & Forma Confirmationis.

124 **I**n administratione Sacramenti Confirmationis spectari possunt tam ea, quæ sunt essentialia, quam accidentalialia. Essentialia sunt materia & forma cum intentione Ministri. Quamè verò sit materia remota Confirmationis? Hæret in bivio. Non pauci defendunt, chryisma, seu oleum cum balsamo mixtum, esse materiam remotam & essentialem; quorum ratio principalis fundatur in Concil. Florent. in decreto Eug. 4. secundum, ubi

definitum habetur, materiam huius Sacramenti esse chryisma, consecrum ex oleo & balsamo. Pax Jordan lib. 3. tit. 2. n. 33. Gobat Theol. experim. tr. 2. n. 743. Pirhing ad rit. de Sacram. non iter n. 3. Clericatus de Sacram. Conf. decis. 54. num. 6. Alii propugnant, chryisma solum exigi de necessitate præcepti, oleum simplex autem pro materia essentiali reputandum esse. Ratio fundamentalis eruitur ex cap. pastoralis 1. de Sacrament. non iterand. ubi S. Pontifex Inno-